

Febris petechialis indolem et medicinam / ... explicabit Thomas Wilhelmus Marbourg.

Contributors

Marbourg, Thomas Wilhelm.
Vater, Christian, 1651-1732.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Vitembergae : Augustus Kobersteinus, [1712]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p9srf6mb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

AVSPICIIS RECTORIS ACADEMIAE HVIVS
MAGNIFICENTISSIMI

10

DOMINI

DN. FRIDERICI AVGVSTI

ELECT. SAXON. HEREDIS. ETC. ETC.

FEBRIS

PETECHIALIS

INDOLEM ET MEDICINAM.

MODERANTE

DN. CHRISTIANO VATERO,

PHIL. ET MED. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL.

NEC NON PHYSIC. PROV. SAX. ET SER. SER. P. P.

ANHALT. ARCHIATRO ETC. h. t. DECANO

DN. DOCTORE ET STVDIORVM SVORVM

PROMOTORE AETERNVM DEVENERANDO

PRO LICENTIA

IMPETRANDI SVMMOS ET DOCTORALES IN ARTE

MEDICA HONORES

AD D. XXIV. SEPTEMBR. MDCCXII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SVETIS

IN AVDITORIO MAIORI

EXPLICABIT

THOMAS WILHELMVS MARBOVRG. LVNEBVRG.

VITEMBERGAE.

EXPRESSIT FORMIS AVGVSTVS KOBERSTEINIVS.

FRIDERICI AUGUSTI
DOMINI
FREDERICI
INDOLMITHI
MAGNIFICENTIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

FEBRE PETECHIALI.

INter febres continuas, easque malignas, quarum indolem medendique rationes non ita pridem ex Cathedra hac sub moderamine CL. DN. D. Praefidis mei utilitas fuisse memini, ea potissimum, quae Petechialis, pulicaris, lenticularis et stigmatica unanimes Medicorum consensu appellatur, ulteriori et specialiori disquisitione digna mihi uisa fuit, non solum, quod prae ceteris omnibus cuiuscunque aetatis, sexusque homines promiscue inuadit, hisque potissimum temporibus longe lateque, instar fere pestis se diffundit, et magnam uariis locis stragem edit, ut non immerito quoque Febris Pestilentialis, a Peste non nisi gradu remissiore differens, dicatur, sed quoniam ingentes adhuc difficultates in ipsius phaenominis ac symptomatibus explicandis,

nec minores ipsis curandis ubiuis deprehenduntur. Hujus igitur Febris indolem et Medicinam loco Speciminis inauguralis, consensu Ordinis Medicorum gratiosi, disquirere constitui, nullo alio consilio, quam ut inter collationes sententiarum diuersas, eiusdem fraudes eo magis patefiant, et quantum in Artis nostrae uiribus est, evitari et caueri queant. Faxit hoc Iehoua feliciter!

Thes. I.

NON quidem nostra demum aetate, aut proximo solum seculo oriri caepit hoc malum, uti quibusdam uisum, sed ipsi iam HIPPOCRATI, GALENO, aliisque uetustissimis Medicis cognitum fuisse, ex ipsorum scriptis hinc inde sparsim colligi potest. Imprimis ab HIPPOCR. L. II. Epidem Sect. III. describitur sequentibus: *Aestate febres ardentes populares grassatae sunt sine uomitu, cum uentre turbato: Urinae erant tenues plurimis et paucae, nec alioquin de colores etc. circa septimum uero, octauum et nonum diem aspredines quaedam miliaceae, culicum morsibus similes, quae tamen non admodum pruriebant, in summa cute sub nascebantur, et ad iudicationem usque perdurabant.* Ex quo etiam doctissimus ille Hispanus VALLESIUS *Comment.* in hunc locum ita collegit;

Sunt

*Sunt omnino hae maculae petechiae, quae Hispanis no-
uato nomine, torbadillo uocantur, et in febribus ar-
dentibus symptomatice, ob feruorem, aut malignam suc-
corum corruptionem fiunt, quasqua natura in mali-
gnis et pestilentibus febribus per cutim, praesertim
dorsum, pectus et scapulas expellere tentat. GALE-
NVS uero Lib. V. Meth. Med. Cap. XII. et Libr. d.
Atrabile cap. IV. easdem his uerbis indigitat. Qui
euasuri erant in febribus malignis, his ex anthemata
nigra toto in corpore confertim erumpebant, ulcerosa
quaedam, aliis uero et pluribus sicca, ueluti cinerem
quempiam natura in cutem protrusisset. Quibus et-
iam AVICENNA L. 4. Tr. Cap. 11. AETIVS Tetrab. II.
serm. I. C. IX. LVDOV. LEMOSIVS Comment. ad Galenum
C. XII. L. V. Method. Metend. aliique uetustissimi Scri-
ptores consentiunt; imprimis ACTVARIVS L. I. Me-
thod. Th. 23. omnium clarissime; Maculae, inquit,
circa cutem exoriuntur nonnullis rubrae, aut purpu-
reae, aliis nigrae, quales quotidie ex pulicum cimicum-
que morsibus apparent.*

Thef. II.

SVCESSU tamen temporis febres tales antea minus
frequentes magis magisque se explicare uiresque
sumere caepere, et quidem, teste doctissimo FRACA-

STORIO *L. II. de Morb. Contagios. Cap. VI. et Tb. MINADOO L. I. de Febr. Malign. magna cum militum clade primum in Italia Anno MDVI. XXVIII. et LXXVI. ubi Maximilianus II. Romanorum Imperator Augustiss. Christiani nominis hostem ex Hungaria fugauit, et prostrauit, unde etiam tum temporis Hungarica uocabatur, quae tamen etiam sine eiusmodi exanthematibus hodie incedit et propterea non immerito ab hac distinguitur, uti e sequentibus patebit. Nostra uero in specie est omnium Februm malignarum maxime maligna, contagiosa, epidemia et exanthematibus, seu maculis cutis purpureis, liuidis, uel nigricantibus prae ceteris notabilis aliisque grauisimis symptomatis stipata, a totius massae sanguineae intimiori resolutione et corruptione dependens.*

Thes. III.

AD febres pertinere malum nostrum, nemo dubitat, habet enim omnia illarum requisita, calorem praeter naturalem, pulsum auctum et frequentem, sitim, inquietudinem, urinam turbatam aliaque febribus communia. Et licet etiam calor febrilis hic extrinsecus ab aegro aliisque, rerum harum imperitis, non aequae semper sentiatur; intelligentes tamen eundem ex ipsissimo sanguinis motu turbato,

bato, inquietudine, uigiliis, ariditate faucium aliisque satis dignoscunt: Ita quoque Pulsus quidem per uices a naturali non multum recedit, et urinae naturalibus fere similes deprehenduntur, propter turbationem et corruptionem partium in sanguine magis intestinam, eoque minus extrinsecus sensibilem, eo magis tamen periculosam magisque destructiuam; unde etiam natum est illud Prognosticum; Urina bona et Pulsus bonus, et tamen aeger moritur.

Thes. IV.

IDeo etiam ad classem malignarum febrium pertinet, imo omnium malignarum praecipua est, quae sub ingressum aliud simulat, aliud in recessu habet et efficit. Mitiori nimirum calore pulsuque fere naturali benigniorem febrem primum mentitur, mox uero atque in expectato, ubi secunda omnia et tuta uidentur, uires prorsus prostermit, cardialgias, anxietates, dolores capitis, inquietudines aliaque symptomata gravissima secum trahit, maiora et pejora, quam quae a febre omnia, ut tali, provenire possunt et solent, indeque simulata sua benignitate non raro et aegros et Medicos fallit.

Thes. V.

ESt quoque maxime contagiosa, quae instar febre Pestilentiae se multiplicare, miasma suum longe lateque diffundere, et in aliis, etiamsi sanis eandem febrem excitare solet. Testantur id prochodor! exempla et strages Familiarum, quas ubiuis per Germaniam, Galliam, Italiam toties edit, et, more propemodum pestis, nulli aetati, sexui et conditioni, neque ipsis Medicis, quibuscunque etiam modis se munire et praeservare conentur, saepe parcit, ut propterea in specie Febris anti Medica, Medicorum Flagellum et Napellus a quibusdam dicitur. Experiuntur uero id maxime, quando confecto bello, et dilapso hinc inde milite, contagium et seminium ejusdem tam longe lateque se diffundit, et tot millia funerum extorquet. Qualis erat, quae teste FRACASTOR. l. c. priori seculo MDV et MDXXVII. ex Cypro, Creta aliisque Insulis vicinis primum Italiam, Deinde Anno MDXXXV. Galliam et MDCXLV. Germaniam occupavit, et de hinc diuersis adhuc temporibus et locis grassata est. De quo plura ad huc *apud Sennert. de Febribus, RVLANDVM de Febre Hungarica. ISBR. te DIEMERBROCK obs. Curat. Med. et alios legere licet.*

Thef. VI.

IMprimis uero haec febris ab aliis febribus malignis distingitur ex anthematibus, seu maculis plane peculiaribus, die circiter tertio, uel tardius in superficie cutis, dorsi praecipue et pectoris, erumpentibus, a quibus etiam nomen speciale accepit; Dicuntur propterea maculae istae plane peculiare, quoniam non nisi cum febre hac, aut etiam peste ipsa apparent, eaeque, instar macularum a morfu pulicum, rotundae, cum punctulo in medio notabiles, communiter rubicundae, interdum etiam luteae, cinereae, uel liuidae, sine notabili tumore et sine pruritu; procul dubio ob insignem feri lentorem et uisciditatem, qua salia morbosa in ejusmodi malignis in uoluuntur magis. Quamuis tamen in quibusdam, pro diuersitate graduum, temperamentorum, morborum complicatorum, aliarumque circumstantiarum etiam acrimonia eorum se satis exferat. Ita DIEMERBROCK Amsterodami petechias modo citrinas, purpureas, liuidas et nigras frequentissime conspexit, etiam faciem totam, uel dimidiam, cum tumore palpebrarum, et dolore faucium occupantes, et | ubicunque maculae istae apparuere, epidermidem separantes. Imo et SIMON PAULI, ter ejusmodi febre

B

pete-

petechiali correptus, proprio suo exemplo *de Febr. Malign. §. 20. testatur*, quod durantibus petechiis non solum dolorem urentem, sed etiam musculorum palpitationem et tumorem sub cute sentit. Rotunditatem uero habent ab ipsis glandulis subcutaneis, in quibus serum stagnat, quarum pori deinde quoque intumescunt magis et conspiciuntur: Quos poros etiam prae caeteris accuratius iam tum obseruauit SENNERTVS noster L. IV. de febribus C. XIII. *Discernuntur illae maculae iniquiens a pulicum morsibus, quod in medio horum punctum, tanquam morsus uestigium insit, quodque compressione non delitescit, etiam reliquo tumore undique euanescente. Petechiae uero digito compressae euanescent quidem, sed redeunt, nullumque puncturae uestigium in medio relinquunt.* Apparent quoque potissimum in dorso et pectore, non tam ob uasorum sanguiferorum ibidem magnitudinem et copiam, quam pororum laxitatem, et calorem ambientem, quo mediante efflorescentiae illae promouentur magis, fecus ac in aliis partibus extremis, facie nimirum et manibus pedibusque, ubi cuticula et pori non solum per naturam densiores, sed etiam ab aere liberius incumbente, magis constringuntur, humoresque in uasculis ejus condensantur. Nihilofe-

cius

cuis tamen interdum etiam in partibus istis extremis observantur. Sic maculam nigram in apice linguae cum dysenteria et mictu cruento hanc febrem comitante, in propria Filia se vidisse retulit CELEBER. SCHRÖCKIUS in *Ephemer*: Imo interiorius in ipsorum viscerum tunicis post mortem reperiuntur, uti videre est apud FERNEL. d. Febris C. XVIII. PARAEVM L. II. Oper. C. I. SALMVTH. C. II. obs. XXXII. EPHEMERID. GERM. A. III. Obs. LXXVI. et alibi. Quibus adeo omnibus probe observatis, et cum reliquis prioribus symptomatis, nec non circumstantiis antecedentibus et concomitantibus comparatis, facile ab aliis febribus morbisque dignoscitur. Erumpunt quidem plurima alia Exanthemata et maculae scorbuticae, hepaticae, morbilli, vibices, ephelides modo sine febribus, modo cum iisdem, illae tamen omnes ratione figurae, magnitudinis, situs et moris longe diversae.

Thes. VII.

ALias aequae ut reliquae febres malignae in uniuersi sanguinis centrali quasi perturbatione, confusione et destructione consistit, ubi omnes partes eum constituentes, et amicaliter alias unitae, penitus confunduntur, in

uertuntur, indeque tota ejus compages, nisi cito medela fiat, destruitur, atque sic obeundis porro operationibus suis prorsus inepta redditur. Sanguis sane noster, ut ut ex innumeris partibus heterogeneis, nempe aquosis, gelatinosis, salinis et sulphureis, uolatibilius et fixis, acidis, alcalibus aliisque mixtus et compositus, tamen per tot digestiones, in utero jam materno inchoatas, tantam earum nactus est harmoniam, ut neutra alteri noceat, quin potius singula inter se amice conspirent, se inuicem in motu suo, intestino et progressiuo adjuuent, et intime uniant : Neque tamen adeo heterogenei liquoris mixtura constaret, ut tam ingentis uarietatis corpuscula, ad motum et quietem indifferentia, in omnibus liquoris hujus guttulis eadem semper lege moueri possent, nisi etiam uinculum aliquod intercederet, quod corpusculis illorum diuersorum non solum motum seruaret, sed suo quoque interuentu secessionem ab inuicem impediret; Aether nimirum subtilissimus non solum in poris illorum habitans, sed etiam perpetim trajiciens, trajiciendo more solito particulas istas omnes impellit, crassiores diuidit, proportionatas miscet, adeoque liquoris hujus vitalis similitudinem ubique sibi similem facit, et conser-

conferuat, quamdiu neque partibus illis fluidis, neque solidis, imprimis secretoriis porulis, tubulis, glandulis aliisque nulla uis infertur. Quod si uero eadem partes ab injuriis quibuscunque internis et externis graviter immutantur, confunduntur, obruuntur, secretoriae in specie comprimuntur, constringuntur, constipantur, tunc non nisi motus prorsus praeter naturales, secretionesque vel plane nullas, aut imperfectas et prauas, aliaque mille incommoda in illa admirandi, ac prorsus diuini artificii machina euenire necesse est. Id quod etiam jam tum artis nostrae parens suo tempore uidit, et Lib. de Prisca Medici Sect. I. sequentibus uerbis expressit. *In homine, inquit, est amarum et salsum, et dulce et acidum et acerbum et insipidum, aliaque sexcenta, quae pro copia et uiribus uarias facultates habent. Et hac quidem mixtione, et mutua inter se contemperatione neque cernuntur, neque quenquam molestia afficiunt; At ubi horum quidpiam secretum fuerit, et per se extiterit, tunc let conspicuum fit et hominem molestia afficit.*

Thes. VIII.

Atque tales in sanguine perturbationes ingentes in febribus, iisque continuis et malignis potissimum

tissimum fieri, nemo dubitabit, qui phaenomena et symptomata per omnia eorum genera obseruat et examinat. Veteres imo et recentiores Medici multi eandem perturbationem intimam et plane destructiuam sentientes, putredinem, et febres istas putridas uocant, eo quod per eandem totius Massae sanguineae contextus, crasis, sapor, color, odor penitus inuertitur, totaque oeconomia animalis breui destruitur, cum subsequente statim non solum partium fluidarum corruptione, sed etiam solidarum gangraena et facie cadauerosa. Quoniam uero putredo, seu putrefactio proprie sic dicta, subitam semper et totalem corruptionem mixti, et quidem cum foetore et colore cadaueroso secum trahit, cuius, durante adhuc Sanguinis circulo et uita, nulla prorsus uestigia in arteriis uenisque deprehenduntur, rectius per resolutionem et confussionem ejus intestinam, eandem tamen ad totalem corruptionem et putredinem tendentem, exprimitur. Propterea etiam a termino ebullitionis et fermentationis, quod WILLISIO, PASCHALIO, MORELLO, DEVSINGIO, ROLFINCIO aliisque multis placuit, abstinemus, quoniam non minus eorum requisita deficiunt: Neque etiam nudam statim coagulationem sanguinis hic fieri putamus, uti SIMON

PAVLI in *παρεμβάσει* de vera, unica et proxima causa februm malignarum et Petechialis, pluresque alii cum eodem prolixè contendunt, quandoquidem in pluribus aegris, cum eadem decumbentibus, sanguis, siue sponte per nares aliaque loca egressus, siue per venae sectionem extractus, saepe ita fluidus obseruatur, ut nulla quoque ratione quouis in loco repositus concreescere uelit. Ego, inquit, experientissimus WEPFERVS *cicutae Aquaticae*. Hist. p. 53. et mecum alii non sine uoletudinis damno in Cadaueribus, hac febre interemptorum dissectis, nullam coagulationem sanguinis in corde et uasis maioribus inuenimus, sed potius pulmonum, hepatis aliarumque partium interiorum inflammationes deprehendimus. Pariter in omnibus febribus malignis sanguinem solito fluidiorem semper se obseruasse, scribit FRANSC. DE LE BOE SYLVIVS in *Method. Medend.* L. II. C. XXVI. id quod etiam EPHEM. GERM. D. II. A. IX. Obs. CCXVIII. confirmant: In aliis multis mucilaginosum, instar decocti pedum uituli uidit BONETT. Anat. Practic L. IV. S. I. Obs. LVII. Sufficit igitur, uti diximus, corruptio sanguinis intestina adhuc tamen sine putredine, sine fermentatione uel efferuescentia, eaque tanta, qua textura et cohaesio partium intimius turbatur et destrui-

struitur, et ad capillamenta arteriarum uenarumque transeunda prorsus ineptus redditur, siue coagulationem simul inducat, siue minus; Id quod etiam reliquae causae proximiores et remotiores aliaque phaenomena abunde nunc probabunt.

Thes. IX.

Ordiamur ab iis causis huc pertinentibus, quae maxime in sensus incurrunt, inter quas praecipuum locum obtinet. Aeris, tanquam primi et praecipue motoris, quo ne per momentum carere possimus, constitutio ualde mutabilis, et praeter solitum naturae cursum, insueto tempore modo nimis calida et humida, modo frigida, nebulosa, uentis destituta, et uariis effluuiis heterogeneis, a stagnantibus aquis, cadaueribus hominum aliorumque animalium referta: Eodem enim per continuam inspirationem et transpirationem intimius recepto, non potest, quin etiam tales in sanguine reliquisque omnibus humoribus mutationes et alterationes sequantur, uti febres tempore uernali et autumnali prae caeteris frequentes testantur. Qualis enim aeris status, talis quoque sanitas, motus humorum et habitudo totius corporis. Per nimis calidam agitantur nimium humores, eorundemque potissimum

mum partes mobiles Salinae et sulphureae resol-
uuntur, attenuantur, dissipantur per frigus autem e-
contrario praeter modum figuntur, condensantur,
pori et tubuli constringuntur; per excessiuam hu-
miditatem tonus fibrarum et uasorum nimium re-
laxatur; quemadmodum per magnam siccitatem
exsiccat, crispatur, et sic porro, unde non
nisi anomalias in omnibus digestionibus et secre-
tionibus ipsorum fieri necesse est. Imo sola aeris
tenuitas, uel uicissitudo ultra modum magna, ma-
lignos feralesque morbos efficere possunt, ne
quid de specifica, aut occulta qualitate somniare ne-
cesse sit, uti loquitur ingeniosissimus PECHLINVS
Obs. Phys. Med. L. 2. Obs. 17. Memorabile hujus
rei exemplum refert Noster HIPPOCRAT. de hor-
renda illa peste Peloponensi, quæ a THUCIDIDE
major uocatur, quam ut exprimi, acerbior, quam ut
humana natura tolerari potuerit, ejusdemque cau-
sam præcipuam in aerem Austrinum, atque plu-
viosum refert; a cujus modi aeris mutationibus ad-
huc toto die febres malignæ et epidemicæ, mo-
do variolares, morbillares, modo petechiales,
purpuratæ, et similes excitantur, et hinc inde graf-
santur, uti anno potissimum MDCIC. et sequen-
tibus huc usque expertissimus, et de quibus, si
C placet

placet, legi possunt SYDENHAM, *Schedul. Monitor. d. Novæ Febr. Ingress.* APINIVS *Histor. Relat. Febre Epidem. Ann. MDCXCIV. et XCV.*

Thes. X.

QVanto vero majores mutationes ejus fieri necesse erit, quando simul effluvia a cadaveribus, aquis stagnantibus, sordibus, et recrementis ægrorum aliisque accedunt? Quæ certe sola sæpe ratio est, quod febres ejus modi in castris, inter squalores non humatorum cadaverum, olidorumque excrementorum, tam frequentes sint, et plurimi, etiam sine contagio speciali, eodem malo simul et semel corripiantur. Imo idem atmosphæræ ingenium contagii, ab ejusmodi ægris effusi, corruptelas auget, quando vagum alias et fugitivum, miasma malignum affinitate quadam complectitur, et quod ipse in sinu habet vitium, augendo eodem morbo simul impendit. Si autem ulla in malignarum genere, febris est, quæ contagio effuso se multiplicat, est ea profecto petechialis, quæ instar fere pestis non solum immediate, per effluvia cum aere permista, sed etiam mediantibus stragulis, vestibus, alimentis aliisque, etiam in sanos, pro ut centralis illa vis fortior, aut remissior fuerit, propa-

propagatur, eundemque in illorum humoribus effectum edit, nisi bonitate naturæ, seu temperie partium fluidarum, et robore solidarum optimo superetur, et excludatur.

Thes. XI.

A Ere laudem non multo minores vires ad petechialem febrem excitandam habent alimenta mali succi, ad corruptionem, fermentationem et putrefactionem proni, aut solum temperamento ægrorum istorum minus apti. Contingit hoc sæpius annonæ caritate, indiuturnis urbium obsessioibus, ubi a vulgo imprimis, urgente fame, quaecunque siue cruda, coctu difficilia, semi putrida, rancida, carnes ab animalibus morbosis desumptae, tempore, quantitate et modo minus conuenienti, ad sedandam solum famem ingeruntur promiscue. Pari modo quando aquae stagnantes, lutosae, uina item et cæreuisiae corruptae, alimentis miscentur, uel loco potus usurpantur. Quae sæpe etiam ratio est, quod uitia, quae ex diaetae erroribus enormibus collecta sunt, tum demum se eo magis manifestare incipiant, quando in solito uictui et otio redditus miles morbi sensum habere majorem, aut vacare eidem posse uidetur. *Vidi, inquit, PECHLIN*

l. c. cohortes, quae postquam terra marique omnes tolerassent labores, tristi esuritione et aquae impurae potu debilitatae, tum, cum in praesidia urbesque deducebantur, ad novi desuetique cibi copiam, qui affatim miseris offerebatur, gravatae in morbos internecinos inciderent, non aliis, quam qui ante medicamentis se praeparaverant, ciborumque non nimis avidi lentius progressi erant, evadentibus.

Thef. XII.

PERTINENT huc etiam motus corporum uel nimii, infueti, minus congrui cum temperamento, aetate et sexui, uel prorsus intermissi. Illi enim humores nimium agitant, digestionem et secretionem ipsorum turbant, praecipitant, salia exaltant, confundunt, aliisque mille modis nocent: Otium vero digestionem et secretionem remoratur, circuitum imminuit, consequenter obstructiones, stagnationes et corruptiones humorum promovet. Ita vel solae evacuationes solitae, alvi nimirum, urinae salivae mensium haemorrhoidum sudoris et transpirationis suppressae, faciunt, ut humores isti stagnando corrumpantur, et in subjectis dispositis concurrentibus aliis causis, etiam petechialem febrem indu-

inducunt. Quemadmodum etiam immodicæ evacuationes sanguinis aliorumque humorum retinendorum vires exhauriunt, eoque non solum digestionibus pravis causam præbent, quo minus etiam contagiis alienis, resistere valeant, efficiunt. Quoties etiam a purgantibus aliisque evacuanti-
bus, in tempestive et imprudenter assumptis, febres, alias mitiores, in malignas transeunt?

Thef. XIII.

SED omnium maxime hic etiam nocere observantur animi pathemata graviora, imprimis terror et pavor ingens, utpote quibus sanguis et reliqui succi ab anima perturbata et terrefacta intimius quoque perturbantur, eoque ipso aut semina morbosa jam tum in humoribus istis latitantia, excitantur, aut etiam extrinsecus advenientia promptius admittuntur, neque ut ab aliis animosis fit, rursus excluduntur et dissipantur. Exinde fit, quod, qui grassantibus his febribus, aut pestilentia ipsa, animo intrepido ægrotis adstant, et inserviunt, rarius his malis corripiantur; Cum e contrario timidi, vix e longiquo accedentes, sæpissime afficiantur, et affecti etiam rarius ac alii evadant; unde grassantibus ejusmodi febribus, plu-

res non tam ex prava victus ratione, vel contagio, quam solo terrore, metu, anxietate et mortis formidine perire, multi adhuc cum Helmontio credunt.

Thef. XIV.

TAndem etiam res aliæ præternaturales, variū nempe morbi, causæ morbificæ et symptomata symbolum suum huc conferre solent, quæcunque modo sanguinis et reliquorum humorum corruptioni favent. Inprimis cacochymia scorbuticæ, cholericæ, et morbi ex his oriundi, diu in veterati, aut minus recte curati; Sic febres intermittentes, tertianas, diarrhæas ex erroribus talibus in febres malignas mutari, experientia testatur. LAZ. RIVERIVS *L. XVII. Prax. Med. S. III. et* GVERN. ROLFINC. *L. XII. Consil. Med. XII.* tres potissimum causas antecedentes hic accusant, nimirum Plethorem, Cacochymiam et obstructions primarum viarum; Neque immerito, quandoquidem singulæ ex his sanguinem facillime inquinare, et ad corruptiones varias disponere sufficiunt.

Thef. XV.

ATque his omnibus adeo observatis, nunc etiam ratio omnium symptomatum febrem nostram

nostram comitantium, et imprimis petechiarum istarum eo manifestius constare potest. Aequae ac in aliis febribus malignis patiuntur hic ægri inter initia statim morbi insignem virium jacturam et prostrationem, cum lassitudine ingenti, et gravitate totius corporis, adeo, ut præ nimio langvore sæpe ne quidem erigere se queant, quin vertigo animique deliquia statim interveniant: Eaque debilitas etiam per totum morbi decursum perdurat, certo argumento, vinculum sangvinis non solum destructum et dissolutum, sed etiam spiritum ejus vitalem et elasticum prorsus deficere, a quo tamen omnes partes impulsum et robur suum habere debent. Ab eodem fundamento etiam dependet pulsus cordis et arteriarum admodum langvidus, parvus, frequens tamen et inæqualis, ob spiritum illum impellentem adeo perturbatum, et ab influxu suo legitimo cohibitum: Paucis omnimoda pulsus mutatio debetur unice Sangvis motui mutato, cujus singulas guttulas, imo guttularum particulas intimiores perturbatas, etiam cordis et arteriarum motum legitimum turbare, necesse est: Quo ipso etiam difficilior ejus per cor et pulmones transitus anxietates præcordiorum, et tristitiam, sæpe ad desperationem usque, efficit. Neque etiam calor et sitis in his
æque

æque ac aliis febribus acutis, admodum sensibiles sunt, eo quod sanguis et reliqui humores hic non tam expandantur, quam resolvantur magis et fundantur: Quin potius horrores frequentes et inordinati interveniunt, quando partes heterogeneæ et inæquales conspirare nesciæ alternatis vicibus modo supprimuntur ab aliis, modo alias rursus supprimunt. His respondent urinæ, quæ in his ægris sæpe naturali similes, modo tamen densiores, turbidæ, jumentorum urinæ similes; nunquam vero valde rubicundæ, vel flammæ, ut in aliis acutis observantur, quoniam vinculum solum et centrum sanguinis a miasmate valde subtili hic turbatur, cujus indicia non adeo in sensus incurrunt, nisi quod modo partes tantum serosæ, crudæ, viscosæ inter turbas istas simul secedant, et cum urina excernantur.

Thes. XVI.

SEd in specie et semper comites habet hæc febris petechias, seu maculas, uti diximus, rotundas, in medio puncto quodam notabiles, veluti sunt maculæ, a morsibus pulicum relictæ, modo rubicundas, modo etiam flavescentes et nigricantes, easque in aliis statim principio, aliis vero tertio, quarto vel nono

nono demum die in dorso, pectore, collo erumpentes, et quidem sine tumore et pruritu, vel erosione. Ex quibus apparet, quod maculae istae nihil aliud sint, quam tot feri sanguinisque in glandulis sub cutaneis secessus et stagnationes, a motu isto sanguinis turbato inductae. Quoniam serum illud corruptum adhuc in vasculis capillaribus sanguiferis restitat, ideo nullum manifestum tumorem, neque pruritum, vel erosionem efficere potest: Maculae tamen pro diversa cacochymia aegri et corruptione sanguinis diversos colores induunt, quemadmodum etiam ratione magnitudinis, figurae, loci, temporis, eruptionis et morum non raro variant, uti mox e differentiis patebit, nunquam tamen in hac febre absunt, sive in principio, sive in progressu et fine ejus demum erumpant, vel etiam retrocedant.

Thef. XVII.

Habet omnio petechialis, non minus ac aliae febres malignae, suas quoque differentias, ratione causarum, morborumque diversorum intervenientium, nec non temperamentorum in aegris aliarumque circumstantiarum. Datur etiam petechialis spuria, seu illegitima et imperfecta, a mi-

D

asma-

asmate nondum satis perfecto, aut in parciore quantitate hausto oriunda. Ex quo fit, quod tantam sævitiam ubivis locorum non habeat, nec adeo contagiosa observetur: E diverso aliis temporibus et locis, et in diversis subjectis eo vehementius furit, longe lateque se diffundit, multiplicat, omnes fere promiscue, et cum syndrome gravissimorum symptomatum invadit, plerosque etiam jugulat. Ita complicatur non raro cum purpura, scorbuto, et ipsis maculis scorbuticis, item cum variolis morbillis, dysenteria, pleuritide aliisque. Et petechiæ ipsæ, non solum ratione coloris, figuræ et magnitudinis, sed etiam tempore et modo eruptionis admodum variant: Siquidem in aliis in ingressu statim morbi, aliis vero in progressu demum, vel fine ejus erumpunt, et quidem, modo critice, et cum ἐνφορία, modo symptomatice: Quarum omnium circumstantiarum ratione deinde prognosis formanda.

Thef. XVIII.

ET si quidem acutorum ejusmodi morborum, et hujus imprimis non solum acutissimi, sed etiam maxime maligni, non omnino certæ prædictionis salutis vel mortis fieri queant, quoniam
 commu-

communiter aliud simulat, aliud agit, indeque non pauci ex eo cum signis salutaribus moriuntur, alii vero cum periculosis evadunt; Nihilo tamen fecius salutem sperare licet, si, præter reliqua signa bona, petechiæ in tempore post signa digestionis, et cum notabili sublevatione erumpunt, nec retrocedunt, eaque non nimis copiosæ, neque nimis paucæ, et coloris magis rubicundi: Ex eo enim colligitur, cacochymiam humorum non esse nimiam, sanguinemque turbatum propediem in legitimum circulum rediturum. Non vero semper bene cum ægris actum, si magna macularum copia erumpit; tantum enim abest, ut maculæ istæ causam morbi tollant, quin potius majorem ejus copiam et gravitatem arguant: Quemadmodum nec paucitas macularum semper salutem promittit, nisi alia signa bona concurrant, quoniam talis etiam a defectu virium et roboris provenire potest, et tunc potius mortem præfagit, æque ac si retrocedunt; Sive ergo citius, vel tardius, paucæ vel copiosæ, livescentes vel nigrescentes erumpant, si nihilo fecius et febris ingravescit, et urina cruda, sudor frigidus, aut interruptus, respiratio difficilis, et virium langvor, aliaque signa prava appareant, semper mortem si-

gnificant. Quem tristem eventum, etiam deinde motus convulsivi, contractiones et subsultus membrorum, singultus, dentium stridor, perversiones labii, superciliarum, oculorum, luctuosa suspiria, et similia confirmant. De cetero tamen neque ex pulsu, neque urina, sive bonis sive magis reliquisque symptomatis seorsim aliquid certi judicandum, quoniam ex hactenus dictis constat, quod toties fallant, uti videre est apud PECHLIN. RAYERVUM, SCHENCK. WIERVUM, SENNERTVM et alios. Ita ægros alios cum sudoribus frigidis, alios cum singultu, convulsionibus, delirio, et flocculorum lectione, sine loquela et ratione decumbentes, evasisse, testantur exempla varia, hinc inde ab Autoribus imprimis in EPHEMER. GERMAN. *Decur. II. A. I. II. IX.* collecta. Id quod etiam de diarrhæis, vomitionibus, hæmorrhagiis, aliisque evacuationibus valet, modo tales critice, cum secretionem materiæ morbificæ, et ἐνφροσλα ægri fiant, minus autem, quando non rejiciantur ea, quæ rejici debent, et vires magis magisque prosteruntur.

Thef. XIX.

QUoad tempus vero, et modum eventus observamus, quod in illis ægris, qui cum morbo

bo

bo ingratiā redeunt, maculæ demum post signa digestionis critice et cum notabili symptomatum remissione erumpant, nec citius evanescant, quo- usque virium collectio sequitur, id quod die circi- ter nono, undecimo, et decimo quarto contingit; ubi vero res desperata, illi etiam præsentibus pete- chiis copiosis vel paucis, pallidis lividis eodem tem- pore interfudores frigidos, deliria, convulsiones ju- gulantur. Novimus etiam, quod in quibusdam maculæ restitantes demum in articulo mortis ap- pareant. Interdum etiam morbus per evacuatio- nes alias, hæmorrhagias narium, uteri, hæmorrhoi- dum, item diarrhæam vel salivationem, sudores copiosos, solvitur, et quidem ad salutem, si critica illæ fuerint, vel ad mortem, si symptomatice. Rur- sus in aliis tantum per *μετάστασις* materiæ morbi- ficantis terminatur in abscessus circa partes glan- dulosas e. g. juxta aures, in inguinibus, testibus de quo exempla insignia habent SENNERTVS *L. V. Prax. P. II. C. XIX.* et ROLFINCIVS *Ord. et Meth. Cognosc. febres Cap. LXXI.*

Thef. XX.

Hic que adeo præcognitis nunc etiam liquet, si in ullis aliis febribus malignis curandis, hic certe

ubi nunquam tuta fides, fumma prudentia et industria opus esse, ut miasma, vel fermentum illud malignum e sanguine et reliquis humoribus eliminetur, humorum ipsorum temperies et harmonia naturalis defendatur, symptomata periculosa, quantum possibile præcaveantur et vires conferventur: Idque quibus remediis fieri possit, nunc videbimus.

Thes. XXI.

ET quidem e fonte chirurgico generosum illud remedium venæ sectio huc quidem directe non facit, neque ad evacuationem, neque correctionem fermenti istius maligni; Nihilo secius tamen sæpius ex aliis indicationibus e. g. ob plethoram, æstum sanguinis nimium, stagnationem, inflammationem viscerum imminentem, aut jam præsentem in ætate consistente, et ubi nulla alia graviora contraindicantia obstare videntur, omnino magnam opem præstare potest, tollendo non solum illa pericula, quæ sæpissime interveniunt, et curam si non prorsus impediunt, tamen difficilem reddunt; sed etiam naturam sublevando, ut circuitum sanguinis eo liberius expedire, fomitemque febrilem excludere sufficiat. Fiat autem
in

in principio statim ubi vires adhuc suppetunt, et petechiarum excretionem criticam impediri nequeunt: Illis vero jam apparentibus majori cautela opus est, et sollicitè deliberandum, quidnam magis urgeat, febris, an malignitas, aliæque circumstantiæ, tandemque a potiori, quid agendum sit, concludendum. Optimum consilium hic suppeditat PAUL. SORBAIT. *d. Febr. C. XVI.* *Non expectandum est, donec tota sanguinis massa infecta fuerit, sed, non obstantibus etiam petechiis, motu scilicet noxio et symptomatico, detrahendus est sanguis in ea quantitate, qua nature tolerabilis est; At ne in morbi progressu cum virium defectu instituatür cavendum, Merentur etiam ut in consilium adhibeantur SENNERT. *de Malign. Cap. Febr. XIII.* L. RIVERIUS *Pr. L. XVII.* ROLFINCIVS *Method. et Ord. Cur. Febr.* SCHELHAMMER *d. Februm curat.* SYDENHAM *D. FEBR. ACVT.* et alii peritiores practici.*

Thef. XXII.

A Quibusdam practicis etiam Loco Venæ sectionis scarificationes cum cucurbitulis ficis commendantur, ex iis rationibus, quod non minus ac illa sanguinis copiam imminuant, motum vero

vero per capillaria cutis vascula eo melius promoveant, eruptioni petechiarum minus obstant, quin potius profint nec vires a deo debilitent, quæ omnia non improbamus, modo æger scarificationi huic jam adsvetus fuerit, nec denudatio corporis quæ hic requiritur, et horror aliaque dissvadeant.

Thes. XXIII.

ITa etiam Vesicatoria nuchæ et humeris applicata huc faciunt, quando fomes mali magis infero hæerere videtur, quod dolores capitis, convulsiones, sopores, deliria aliaque fatis manifestant. His enim serum illud sive viscidum nimis, sive tenue et acre, potenter ad exteriora derivatur et evacvatur, eoque ipso caput imprimis et nervosum genus a periculo liberantur. Vnde etiam RIVERIUS eadem non satis laudare potest, et ubi malignitas cum sævissimis symptomatibus urget, non unicum, sed plura simul applicare svadet *Prax. Med. L. XVII.* et WALSCHMIDIUS sæpius sancte affirmavit, in morbis malignis vesicatoriorum usum nunquam se fefellisse, uti referunt *Ephem. German. D. I. A. II.* HOFFERUS vero *in Hercule suo Medico* id exemplis comprobavit, ubi ægri hac luc detenti, et per aliquot dies sine ratione et loquela decumbentes, post
vesi-

vesicatoriorum usum sanitati fuerunt restituti; Attamen hic quoque cautione opus, ne talia citra indicationes, imminentibus, vel præsentibus vigiliis, hæmorrhagiis, sudoribus, aliisque contraindicantibus, adhibeantur. Tunc enim potius malum ex asperant, quam sublevant, uti videre est apud THONER. *obs. Medic. l. I. et in Ephem. D. II. A. IX.*

Thes. XXIV.

E Pharmacia vero ad huc plura auxilia habemus, et quidem ante omnia talia, quæ fomitem malignum statim extinguunt, eliminant, et sanguinis texturam a resolutione, vel coagulatione defendunt. Qualia sunt sic dicta Bezoardica, dona in hanc finem divinitus nobis concessa, e quibus prudens Medicus selectiora, non solum causæ morbificanti directe opposita, sed etiam temperamento ægri cujuscunque convenientia eligere noverit. Nobis hic præ ceteris proficua videntur sequentia: **T**Ra Bezoard. temperat. Mistur. simpl. Essent. et extract. Theriacal. Card. bened. Centaur. Fumar. Castor. Croc. Contrayerv. Helen. Angelic. Zedoar. Myrrh. Elect. Dioscord. Fracastor. correct. Theriaca, Elect. ad malign. Matthioli, orvietan. de ovo Maximilian. Imper. Ex pulveribus, Bolus Armen. a Fracastorio mirifice hic commendata, terra sigillat. Lap. Bezoar. orient. et occident. vel ejus loco Lapis Histricus, Pedro del Porco dictus, et hodie in Anglia, Batavia et alibi tantopere commendatus, uti apud DECKER. *in Exercit. Med. Pract.*, VALENTIN. *in Appendic. Pandect. Med. et in Ephem. German. D. I. A. III.* videri potest. Idem Dens equi marin. Corn. Cerv. Phil. et ust. Coral. pulv. Rad. Angel. Contrayerv. Carlin. Fraxinel. Pulv. Bezoard. Sennert. vel Anglicus ille Comitil. a Kent. Pannon. rubr. Cephal. Michael. Marchion. Spec. d. Hiacynth. Antimon. diaph, Bezoard. miner. Mater. Perlat.

Antimon; Hisque sociata salia nitrata, ex Nitro Antim. Arcan. duplic. Lap. Prunell. vel etiam pro indicantium svasu volatilia, sal. vol. Corn. Cerv. Succin. Viper. Spir. C. Cvi. Bezoard. Buff. et similia, cum convenientibus vehiculis ex aquis, infusis et de coctis appropriatis adornata; ubi etiam observandum, ut talia non in nimis parca dosi, uti sæpe fit, sed tam gravissimo morbo proportionata et sufficientia, propinentur, et iteratis vicibus, singulis duabus, vel tribus horis, prout visum fuerit, reiterentur.

Thef. XXV.

His ita administratis, nisi sudor prompte sequitur, et humores magis ad *σάσι* et coagulationem, vel grumescentiam vergere videntur, optimo consilio per vices interponuntur magis resolventia et sudorem transpiratione nque promoventia, ut spiritus et *Θ*volat. C. Cvi, viperar. *Ψ*ri, Bezoard Buff et similia, præcipua tamen semper sint temperata, quæ quidem resolvunt, ita tamen, ut motum intestinum febrilem sanguinis impediunt, ejusdemque texturam naturalem conservent: Quo nomine etiam illa Bezoardica sub acida, et amara, terrea, *TRa* Bezoard. acidul. Mistur. Simpl. *TRa* ex spirit. vitriol. Philos. et Theriacal. compos. succus Citri, Corall. et Lapid. canceror. succo eodem imprægnati, pulvis Rad. Contragerv. Carlin. Petasit. Fraxinel. Aqua Prophylact. Sylv. Aceta bezoard. decoct. hord. Citrat. gelatin. C. Cvi et similia, ab omnibus Practicis non solum in his febribus, sed ipsa quoque Pestilentia saluberrima observantur. Vid. LANGIUS *T. II. Prax.* SCHELHAMMER *D. Febr. Cur. P. III, S. IV.* THONER. *L. I. et alii.*

Thef. XXVI.

ATque his etiam Petechiæ, si restitare, aut retrocedere videntur, insigniter promoventur et discutiuntur

ut

ut unguentis ejusmodi externis ex oleo amygd. dulc. Scorpionum, et similibus, quæ ab aliis in hunc finem commendantur, minus opus esse videantur. Vid. de his SENNERT. l. c. HOFFER. *Herc. Med. L. VI. Crato in Epist. Med.*

Thef. XXVII.

QUod si vero, uti fieri solet, nihilo secius gravia symptomata interveniant, quibus non solum vires franguntur, sed etiam applicatio istorum remediorum impeditur, tunc omnino eorundem quoque ratio habenda. Imprimis vomitus importunus in tempore coercendus est, per interposita anodyna et opiata, quorum satis multa habemus, præ ceteris tamen optima judicamus jam antea laudata Electuaria; Theriac. Augustani de Ovo, Diafcord. Fracast. item Theriac. coelest. Laudan. Opiat. vel liquid. Sidenham. pulv. Anod. Ludovici. Quæ omnia etiam contra diarrhæas et Hæmorrhagias symptomaticas, imo et dolores ingentes, vigiliæ, deliria et convulsiones, profunt, modo observetur, ne talia, viribus jam nimium prostratis, præfente pulsu debili et vacillante, aut non nisi in paucissima quantitate adhibeantur.

Thef. XXVIII.

Aque ita etiam viribus ægri prospicitur, vel si opus, prioribus adhuc addi possunt cordialia sic dicta et analeptica temperata, qualia præter antea jam commendata sunt Confect. Alkerm. d. Hiacynth. de Gemmis. Spec. de Hiacynth. liberantes fucci citri, cerasorum, granator. berber, sed sine saccharo multo, eorundemque decocta et aquæ simplices et compositæ, quibus omnino vires ægrorum egregie non solum reficiuntur, sed etiam ariditas faucium et sitis mitigantur.

Thef. XXIX.

Restat igitur saltem de diætâ horum febricitantium pauca monere, quorsum præ omnibus aliis maxime per tinet SYDENHAMII, in febrium harum cura, peritissimi-

tissimi consilium, quod *sect. V. c. V.* de febribus suppe-
ditavit sequentibus verbis: *Experientia Magistra edoctus*
sum, et purpureas febrium maculas, et variolarum pustulas ni-
gras deteriores semper factas esse, et prompte incrementum
sumpsisse, quo magis calefiunt aegri, Eadem vero quoque ratio-
ne moderatioris regiminis quod iis omnino debetur, decrescere
solere ac minui. Neque præter rationem, quoniam calo-
re nimio, sive stragulis multis, sive aliis excitetur, fomes
ille febrilis, qui sæpe per diuturnum tempus in ægris la-
titavit, a causa solum procatarctica excitatus et in mo-
tum redactus adhuc coerceri poterat, donec per alte-
rantia et blanda diaphoretica sensim superetur, et eva-
cuetur, tunc præter necessitatem uno impetu expandi-
tur, eoque ipso totius sanguinis reliquorumque humorum
crasis destruitur, intra paucissimos dies, et citius, quam
a generosissimis medicamentis auxilium fieri possit. Quo
nomine etiam iisdem ægris non nisi victus tenuissimus
prodest, prohibitis interea omnibus calidioribus, aro-
maticis acris, fermentabilibus; nec non animi pathe-
matibus, quibus perturbatio humorum promoveri potest.

Thef. XXX.

NEc in utile est, eos, qui ab hac lue sæpe epidemica sibi
metuunt, hic ad monere, ut ante omnia corpora sua
ab impuritatibus quibuscunque malo huic ansa dari po-
test, ex consilio Medici, mediantibus laxantibus, abster-
gentibus, aperientibus, diaphoreticis et similibus li-
berent. Plethoricis etiam sanguinis detractiones rite
instituta multum profunt; Deinde vero ventriculi ali-
orumque viscerum robur sibi comparent. Id quod eo
magis observandum ab iis; qui in locis ejusmodi impuris,
contagio infectis vivere coguntur, aut cum ægris talibus
conversantur, ubi tamen etiam purificatio ejusdem
aeris, mediantibus suffumigiis convenit.